



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

Vers. 14.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82999](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82999)

Eustochium, de custod. Virgin. de bono viduitatis. capite vndecimo. Non damnandum fuisse docet Chrysostomus, si duxisset uxorem, post vtrum si duxerit, damnandum esse, & sanctimoniam si nupserit Christi adulteram reputari: Denique lapsus & ruinas à castitate sanctiore quæ vnetur, adulteris esse peiores. Hieronymus vero non tam adulteras esse, quam incestas. antiquissimum hoc fuisse in Ecclesia virginum, & vniuæ castitatis decus, testatur Clemens Alexandr. Strom. lib. 3. Tertullian. lib. 1. ad uxorem, & de velandis virgin. Quin si altius progrediamur, Eadem apud Dionys. ff. de Eccles. Hierarchia, cap. 6. Martialem ad Lemonicens. Ignatium ad Antiochenos inuenimus. Philo Iudæus etiam describit Virgines Alexandrinas, à S. Marco consecratas, quas à cultu Dei singulari *δεσποτίζουσιν* appellant.

VERSUS 13.

Tunc oblatis sunt ei paruuli ut manus eis imponeret, & oraret. Discipuli autem increpabant eos.

QVÆSTIO I.

Cur Paruulos illi offerebant?

§. 1. **V**T manus illis imponeret, & oraret. Id etiam factum est; admodum paruus fuisse constat, vocantur enim à Matthæo Euangelista non *παιδες*, sed *παιδιά* Lucæ 18. vers. 15. *βρέφη* vocat, ut eos tangeret. Marc. 16. vers. 15. Et complexans eos, & imponens manus super eos, benedicebat eos. Itaque infantes illa benedictione felices arbitrabantur. de consuetudine benedicendi illa Genes. 48. vers. 14. Syrus vocat. *כִּלְבִּי* *Telaie*, quod puerum significat, siue valde paruulum, siue etiam grandiuiculum.

§. 2. Increpant quia puerorum oblatione volebant Dominum lassari, & infra dignitatem putabant, ut pueris occuparetur. Origenes ab Angelis oblatos paruulos dicit, sed mystice intelligendus est. Non sunt oblatis post sermonem de Eunuchis, quasi commendatione integritatis & puritatis accepti, ut nonnulli putarunt. Nam sermo ille iam domi habitus est, cum iterum discipuli quærent, ut ex Marco constat, secutus est igitur oblationem paruulorum.

§. 3. Talium *παιδίων* docet esse regnum cælorum, non *παιδίων* sed *παιδίων* esse dictum notauit Theophylactus & Euthymius, ut non ætas, sed innocentia signaretur, non enim ætas regnat, sed mores. Verum & istorum & similium illis regnum cælorum esse dicitur. Athanasius quæstionibus ad Antiochum. q. 114. Hinc probat baptizatos infantes participes regni cælorum esse. *ὁ κύριος λέγει. ὁ ἀγαπᾷ τὰ παιδία ἐρχέσθαι εἰς τὸν βασιλεῖα τῶν οὐρανῶν. ἐστὶν ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν. καὶ πάλιν ὁ ἀποστόλος φέρει τὸν κύριον λέγοντα. ὁ ἀγαπᾷ τὰ παιδία ἐρχέσθαι εἰς τὸν βασιλεῖα τῶν οὐρανῶν. αὐτὸς δὲ πάλιν εἰσέρχεται τὰς αἰσθητικὰς ἀρετὰς, καὶ οὐκ ἐστὶν ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν, ἀλλ' ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν ἐστὶν ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν. Cum Dominus dicat: *finite pueros ad me venire, talium enim est regnum cælorum*: Item cum apostolus testetur: *Nunc filij vestri sancti sunt*: constat incontaminatos & fideles in regnum cælorum ingredi fidei baptismatis infantes. Ethnici vero & non baptisati neque in regnum ingrediuntur, neque etiam rursus in penam peccatorum enim non designantur.*

Intelligendus est Athanasius de pœna sensus.

§. 4. Sententiâ Christi igitur anabaptistarum error condemnatur, qui paruulis baptismum denegant, aut baptizatos adultæ ætate rebaptizant. Si enim regno cælorum non excluduntur, multo minus sacramenta Ecclesiæ arceri debent. Quamuis autem mysteria nec intelligant nec credant, infusa tamen gratia & fidei habitu iustificatur, & fideles sunt. Certe benedictio, amplexus, manuum impositio, precatio ostendunt, in Ecclesia eos esse.

§. 5. Lutherani diuersum errorem hinc efficiunt, nempe infantes cum baptizantur, fidei actum elicere, & reuera credere, intellectu iam illustrato, & ratione ad tempus vigente. Qui error admodum absurdus anabaptistis occasionem nouæ blasphemix dedit. Maluerunt enim paruulorum omittere baptismum, quam intelligentes credere.

VERSUS 14.

Iesus vero ait eis: Sinite paruulos & nolite eos prohibere ad me venire, talium enim est regnum cælorum.

QVÆSTIO I.

Quorum paruulorum est regnum cælorum?

§. 1. **N**on dubium est eos quos Dominus sua benedictione dignatus est, electos fuisse. Marcus ait, accepisse eos in vlnas, & benedixisse, discipulis autem prohibentibus, indignatum. Manuum impositione benedictionem dari solitam apud Hebræos est in confesso. Christum tanquam Spiritus donis plenum, suumque prophetam filiis benedice re optabant.

§. 2. Talium pronunciat esse regnum cælorum, *παιδίων* qui illi similes sunt malitia: Syrus exprimit *דאדאן גער דאס האלע ענין* *dedalen ger daich halen enin*, talium qui sunt sicut ipsi. Et Lucæ 18. vers. 17. *Amo dico vobis, quicumque non acceperit regnum Dei, non intrabit in illud*. Eodem modo Irenæus lib. 10. cap. 15.

§. 3. Apostolos Christum spoliare propriis dotibus ait Caluinus & quæ in eum minime conueniunt sub speciei honoris eum congerere sic in Papatu homines putare magnam Christi honorem se tribuere, si coram frustro panis se prosternerent, alios patronos crearent. Non spoliant Christum Apostoli suis dotibus, pueros molestos illi putabant esse. Errarunt non malitia, sed amore & estimatione Domini indiscreti. Nos coram pane non prosternimur, Christum in Sacramento credimus præsentem, & quem credimus, adoramus. Alios patronos, qui mediatores sunt, non creamus. Vnus est mediator Christus Iesus, Deus & homo. Ille Deum reconciliavit, ille precium salutis persoluit, ad eum accedimus vel soli, vel innumera sanctorum multitudo comitati, qui CHRISTVM nobiscum simul adorent. Non igitur Apostoli magnopere hoc facto errarunt. Nam vel existimauit CHRISTVM inopportunitate offerentium lassari. Ut est in comm. Hieronymiano, vel, ut ait Ambrosius, sedula virtutis obsequia Domino offerebant, ne comprimeretur à turbis; vel sanè dignitatis causa vetabant, ut putat Chrysostomus & Theophylactus, alia etiam causa, nec improbabilis adferri

adferri potest. Pueros ab Apostolis repulso. Vt grandioribus sanandis instruendisq; locus & tempus esset. Non enim operæ precium videbatur, tot vndique circumfusus turbis benedicendo paruulis Dominum occupari. Verum Christus cui omnia agendi & loquendi momenta in numero erant, demonstrare voluit, quanto in precio paruulorum innocentia sit coram Deo.

VERSUS 16.

Etece vnus accedens, ait illi: Magister bone, quid boni faciam vt habeam vitam æternam?

QUESTIO I.

Qualis adolescens ille fuerit?

§. 1. Non est ille qui Lucæ 10. v. 25. eadē Dominum quæstione pulsat: ille enim legis peritus erat, & carpendi, calumniandi quæ animo interrogabat, hic genu flexu accedit, & sincere viam salutis inquit. Sine causa igitur eum accusant Sectarii, & hypocritam fuisse comminiscuntur. Nam audito responso de abdicandis bonis tristatur, quod non faceret, si per ludibrium de salute inquireret. Excusat eum etiam Marcus; nam Iesum intutum eum, ait & dixisse, non igitur tentator accessit. Venit ergo animo salutis cupido, sed ad perfectionem consequendam & consilia Evangelica nondum firmato. Syrus habet, & venit quidam accedens & dixit *ܠܡܢܝܢ ܐܬܗܐ ܥܠܝܝ* Etha ehad kerb. Venit vnus appropinquans: Per turbam enim sese infundebat, vt esset proximus, atque in genua procidit. Magnus certe progressus, inter inimicos Domini salutis præcepta à Christo publice & suppliciter petere. Præterit cum vt Lucas. cap. 18. vers. 18. habet princeps esset, hoc est, magnæ æstimationis & auctoritatis inter populares. Caluinus aliam amoris causam adducit. Næpe externam iustitiæ speciem: sic Aristidem & Fabricium ait Deum & odio habuisse, & amasse, odisse cor impurum, amasse iustitiam externam eorumque in commune bonum. alio plane spectat Christi dilectio. Externam illi iustitiam non potest tribuere Caluinus, qui negat minimo gustu vnquam concipille, quid sit domare carnis cupiditates. Deinde cum illa profiteretur, & vt Caluinus putat superbe se iactaret, de falsa iustitia, odisse debuit. Quid vero singulare est, cum dicitur Christus adolescentem intuitus dilexisse, si ob dona naturalia periturum dilexit, sic omnia quæ fecit diligit, sic omnes impios, etiam demones amat. Hac ergo de re nulla erat, nec esse poterat dubitatio. Chrysostomus omniæ suspitionem simulationis ab eo remouet, quia amasse eum Dominus dicitur à Marco. Nonnulli huic homini quasi fraudulento & nequam detrahunt temptationis gratia accessisse ad Iesum affirmantes: ego vero habendi quidem cupidum atque auarum non negarim. talem enim ipsum fuisse Christi verbis declaratur: Subdolum autem & simulatorem nunquam dixerim. Partim quia non debemus quod incertum est, maxime in criminibus, quasi certum asserere: partim quia hanc de ipso suspensionem Marcus remouit: ait enim: Quoniam accurrens, & genua flectens rogabat eum, & quod Iesus intutus illum, dilexit eum.

Caluinus itaque suo more maleuolus est, cum Dominum autorem non alio modo interpretatur. Quis enim nescit, Deum omnia quæ creauit amare, & nihil

Adami Gen. 1. in Ed. ang. Tom. I.

eorum odisse quæ fecit, hoc loco autem alius quidam amor ob alias causas indicatur.

VERSUS 17.

Sunt enim eunuchi qui de matris utero sic nati sunt: & sunt eunuchi, qui facti sunt ab hominibus: & sunt eunuchi qui seipsos castrauerunt propter regnum cælorum.

QUESTIO I.

An Christus se neget bonum, eò modo quò Deus est bonus?

§. 1. Noster interpres legit: Quid me interrogas de bono? *Τί με ἐρωτᾷς καὶ ἐγὼ ἀγαθόν.* quæ lectio est in multis veteribus. Origenes vtramque lectionem proponit. Nec interpres noster nisi ab imperitis potest accusari: cum hæretici etiam fateantur antiquis in codicibus nostram lectionem haberi; Syrus tamen habet: quid me dicis bonum? vt etiam Hilarius, Chrysostom. Gaudens. in 9. Exodi. Lucas & Marcus habent; Quid me dicis bonum? Vtrumque dixit. Nam & bonum Christum dixit, & de bono interrogabat.

§. 2. Ariani friuolè illa verba captabant, ad Christi diuinitatem impugnandam. Nec minus se illis sancti Patres opposuerunt; adolescentem enim à quo bonus dicitur, reprehendit: Nam solus Deus inquit bonus est. Hoc est, verè & naturā, seu vt Theologi interpretantur, per essentiam. Nam more creaturarum si bonum nullo modo negaret, qui tam serio se absque peccato esse profiteretur. Si igitur titulum bonitatis qua Deus est bonus abnegat, certè non est Deus.

Respondendum est Ariani, multum abesse, vt se bonum, aut Deum Christus neget, potius enim affirmat. Adolescens ille Christum Deum non arbitrat, communi illum, sed honorifico titulo compellat, quo gaudebat scribæ, & Pharisei, nec alio sensu Christum appellat Magistrum bonum; Christus errantem corrigit. Quid, inquit, me bonum dicis, more hominum, solus Deus bonus est, ego autem Deus sum multo excellentiore modo bonus, quam tu existimas. Error igitur in animo tuo insidet, cum bonum me dicis, nec tamen quomodo bonus sum intelligis. Quod si igitur putum hominem existimat, elogium bonitatis, quod proprie Deo conuenit, tribuere non debet.

§. 3. Deus nullius boni participatione bonus est, quoniam bonum quo bonus est, ipse sibi est: August. Epistol. 54. Idem Augustin. lib. 3. contra Maxim. Arian. cap. 23. Rectè me appellabis bonum, si me noveris Deum. Nam quando me nihil aliud quam hominem putas, quid me dicis bonum? Non te facis bonum, nec beatum, nisi bonum immutabile, quod est solus Deus. Cyrillus lib. 2. Theaur. cap. 1. cur ad hominem solummodo venis, & quod Deo naturaliter inest, mihi attribuis? Vnus est naturā bonus, Deus videlicet, si ergo me credis Deum esse, atque adeo bonum, quid quasi ad hominem venis? sin autem Deum esse non putas, sed hominem solummodo, quare quod soli Deo attribuitur, homini accommodas? Et D. Hieronym. Non renuit Saluator bonitatis testimonium, sed magistri exclusit errorem. Et Ambros. in Lucam: Magistrum bonum dixit iste, qui Deum bonum dicit

Et h.

Et h.